



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Parænesis Ad Reverendos, Venerabiles, ac zelosissimos Confessarios,
Patres Spirituales, & Directores Animarum Religiosissimos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



PARÆNESIS

Ad

Reverendos, Venerabiles, ac zelosissimos Confessarios, Patres Spirituales, & Directores Animarum Religiosissimos.

I.

Admonetur

Non est equidem, quod me magis delectet; Sed nec est, quod terreat magis, quàm vos alloqui, Viri spirituales, Patres zelosissimi! didici etenim ab eloquentiæ Magistro, munia, facta, & nomina vestra tam magna esse, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit. Ideò nullus vobiscum nec laborum magnitudine, nec numerò præliorum spiritualium, nec varietate tentationum, nec fortitudine concertandi, nec celeritate vincendi potest conferri. Vos profectò velut Abel accepti estis, sicut Noë salvati, tanquam Abraham amici Dei vocati, ut Isaac pro victima supremo Domi-

*Cicero pro
Marcello.
Dignitatis
præstantissimæ suæ
propter*

ad Patres spirituales.

Domino oblati. Instar Jacob tentationes fortiter sustinetis: sicut Joseph dilectis fratribus, & filiis de pane cœlesti paternè providetis: Ut Moyses Pharaonem posteriorem Virgâ Sacramentalis Absolutionis in profundum demergitis: ut Aaron Deum placatis: ut Jesus filius Nave inimicos in fugam convertitis: ut Phinees æmulatores gratiam Dei dispensatis: ut Daniel ora leonum comprimitis: sicut tres pueri adversariorum flammâs conculcatis: instar Petri prædicatis: instar Pauli docetis: instar Thomæ Dei Unigenitum pro homine mortuum annuntiat: instar Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis de rebus divinis differitis: instar Apostolorum iniquos instruitis, instructos ad pœnitentiam adducitis, adductos spiritu magnæ pietatis, & perfectionis Christianæ impletis, impletos sine numero innumeros cœlo invehitis. Hinc vivitis in ecclesia ut forma Justitiæ, sanctitatis speculum, pietatis Idæa, assertores Veritatis, fidei defensores, Doctores Christiani populi, magistri insipientium, refugium oppressorum, consolatores afflictorum, advocati miserorum, Judices despectorum, oculi cæcorum, linguæ mutuo-

Insignia

Nominum
& officio-
rum

præconia,

Allocutio

mutorum, ultores scelerum, malorum metus, bonorum gloria, Virga potentium, malleus persecutorum, pauperum patres, sal terræ, lumen orbis, prophetæ altissimi, Præcursores Christi, Inuncti Domini. Quanta hæc Nominum præconia! dignitas, excellentia quanta! Sed non mirum. Vobis enim dictum est à Domino per os Jeremiæ: *Ecce! constitui te super gentes, & regna (seu filios hominum) ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & adifices, & plantes.* Et hoc ò quali cum labore! Dicit magnus Venetiarum Protopatriarcha, cujus quot verba, tot & pro Patrum spiritualium stimulo leguntur incitamenta. Sic ergo loquitur S. Laurentius Justinianus: habent hoc proprium, qui arti inserviunt medicæ, ut, cum cœperint infirmum visitare, mox ipsius morbi causam, originem, naturamque indagare non desinant; quatenus habitâ ægritudinis notitiâ valeant opportuna languenti subministrare subsidia. Nam difficulter, quod ignoratur, curatur malum. Et hac prudentiâ, hõc medicandi ingeniõ polere oportet omnes, & singulos, qui animorum profectibus deputati sunt, & qui plurimorum in viam Dei, & sancti-

Jer. 1. 10.

Labores sanctos in

ad Patres Spirituales.

sanctitatis inducendorum funguntur officio. Satagite proin ò Patres zelosissimi! ut naturas, mores, & vobis commissorum propensiones, ac desideria integrè inspiciatis, & inspicendò penetretis intimè. Varietate enim affectionum, & inclinationum variantur & remedia. Nec unò medicamine sanantur corpora. Propterea inæquali, sed tamen modo conducente & congruo piæ dirigendæ sunt animæ, ut in virtutibus crescant.

Ideò graviùs errant, qui curam gerunt animarum, & hanc discretionis nesciunt regulam. O quàm sæpè ex admonitione inexperti ductoris in barathrum deductus est desperationis filius spiritualis, & qui ad summam pietatis arcem, & perfectionis fastigium facilè ascendisset, evanuit totus, vitæ spiritualis peritæsus, & à sancto proposito absterritus. Sed quid mirum? Terra, quæ sagaci excolitur hortulani manu, uberem progerminabit fructum; si autem committatur segni, & negligenti, aut nescienti, repentè loliis, urticis replebitur, & zizaniis. Quis audit hæc, & non intelligit, quàm grave, & formidabile onus comprobetur animarum regimi-

Agnoscendo
naturas &
mores
subditorum,
ac

Allocutio

*s. Greg. Naz.
orat. 1. Apol.*

gimine. Hujus in testem invoco D. Gregorium Naz. ita affirmantem: *Profectò ars quædam artium, & scientiarum omnium mihi videtur, hominem regere, animal maximè varium, & multiplex, id est, ars una, & plures coercens.*

Eorum profectui unice studendo, uti &

2. Jam non capio, quòd hodie tanta conscientiaë sarcina à multis quærat, dum tamen, qualis sit, ignoratur. Attendunt hujusmodi duntaxat præsentia; ad futura (quæ maximè Confessariis tremenda) se modicè reflectunt. Volunt vocari ab hominibus Rabbi, & à subditis ut Patres suspici. Observant subtiliter, quid, & quomodò æstimentur, non, quid sint, vel quales esse debeant. Hinc vivunt elatione tumidi, mente excæcati, intentione corrupti, & moribus perdit, non jam ut pastores boni, sed ut mercenarii pessimi, perversi, turpissimi. Non mea hæc verba sunt, sed Divi Justiniani, qui & pergit. Verùm judicium durissimum his, qui ita perversè agunt in negotio, à quo dependet salus, & æternitas multorum. Stabunt enim omnes, præcipuè tamen animarum duces ante Christi tribunal, & ibi de operibus, de omissionibus, de verbis, cogitationi-

ad Patres Spirituales.

tionibus, de intentionibus, & affectibus fiet interrogatio universalis. Ideò enim à Deo sunt præpositi, ut filiorum insistant profectibus: & emendatiores reddant Christo Jesu, quos acceperunt ab Ipso. Idcirco pœnas luent meritò pro negligentis, & pro subditorum delictis, si dissimulasse, si tacuisse, si non clamasse, aut non orasse pro serâ eorum conversione fuerint deprehensi.

3. Quàm lamentabilia! quàm tristia hîc eloquor! nolo, ut illos feriant, quibuscum hodie mihi consolatorius sermo. Vos enim, ò viri Venerabiles! Vos estis, qui altâ perpenditis mente, quâ officii præstantiâ, quâ & præcellatis dignitate sacri exercitii. Legistis enim, quid vobis Divinus Areopagita dicens: *Omnium divinorum est divinissimum, cooperari in salutem animarum.* Cui assentitur & Doctòr Aureus S. Chrysostomus asserens: *Nihil ita gratum est Deo, & ita cura, ut salus animarum.* Quæ omnia magis elucidat S. Gregorius, dum ait: *Nullum omnipotenti Deo est tale sacrificium, quale zelus animarum.* Unde & vobis sedes jam parata in cœlo, teste eruditissimo Cornelio. Nam qui ad justitiam erudiunt mul-

Consolationi, ac salutari

D. Areopag. de Cœlest. Hier. C. 3.

S. Chrysost. hom. 2. C. 40. super Gen.

S. Greg. hom. 12. super Ezech.

Allocutio

Dan. 12. 3. multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Turbatarum

Hunc splendorem ut vobis augeatis, quid non attentatis? Cui labori non intenditis? O quoties cernitis animas diversis exagitatas tentationum procellis, nimiam cæcitate caligantes ignorare, quid statuunt, vel agant? Nunc tædiō affectæ, tristitiâ oppressæ, insensibilitate fatigatæ, & supra virtutem se gravari sentiunt. Nunc innumeris cogitationibus, omniumque tribulationum generibus dilaniatæ, tanquam civitas sine custode, & absque murorum circuitu ab hostibus deprædatæ, spiritualium nequitiarum impetus sustinent tantos, ut penè in extremæ pusillanimitatis impulsæ baratrum, aut seipsas rejectō prudentiæ frænō, & Divini amoris jugō, præcipitent in omnem vitæ licentiã, aut superabundantiori perfusæ mœstitiâ, & cordis turbati dolore faucis, ab eo, quod firmiter conceperunt, sanctō proposito resilire statuunt, atque decernant. Sed quid in casu tam flebili & deplorando vestra charitas? Quid cura, & pietas vestra? Ut sedentes in tenebris ad lumen Deificum excitetis, & in umbra mortis, seu pericu-

Animarum

ad Patres Spirituales.

riculosæ pusillanimitatis hærentes resuscitetis ad vitam omnis dulcedinis, & suavitatis, lumbos vestros præcingitis ad opera heroicæ mortificationis, & exemplaris pœnitentiæ. Preces, & suffragia tam vestra quàm aliena novis cumulatis: Pro mediis, quæ afflictis conducant saluberrima, incessanter vigilatis. Nulli labori, nulli sudori, industriæ nulli ceditis, donec deperdita in turbatam animam redeat optata pax, & dies illucescat internæ consolationis, & consummatæ tranquillitatis. Tanti videlicet est vobis felicitas, & quies commissæ alicujus animæ, ut nec vestra anima exercitiô occupari delectet aliô, quàm animarum lucrô. Hoc etenim sacrificiô nil majus, nil solemnius, aut suavius redolet coram Jesu Christo. Unde Petro, cùm diceret: *Amas me?* illéque responderet: *Domine! tu nosti omnia. Tu scis, quia amo te.* Mox reposuit Redemptor: *Pasce oves meas.* Nihil ardentè amanti charitus potuit committere Christus, quàm illud, propter quod Ipfus exinaniri voluit, & mori. Hoc illustri exemplô inflammati & vos, Viri in zelo ardentissimi! piorum profectibus intenditis toti. Exhortamini, quos pote-

Preiosissimi.
marum.

Allocutio

potestis : instruitis , quotquot potestis , & proximorum mentes nunc terrendo , nunc mulcendo ad agnitionem provehitis æternæ veritatis . Propterea cunctos fidei vestræ subditos fovetis paterno affectu : nullum despicitis : nulli vestra imploranti obsequia denegatis : aliena damna ut propria deploratis : gaudetis cum gaudentibus , & fletis cum flentibus .

Invigilant &
sibi

Unum tamen est , quod vos reddit anxios , & mirè sollicitos . Et quod illud ? Amor propriæ salutis . Studetis proximi commodis ; sed ita , ut custodiam vestrùm non deponatis . Unô equidem oculô vigilatis , qualiter fraternæ proficiatis charitati ; alterô autem , quomodo vestram custodiatis innocentiam . Noveritis Patres Venerandi ! fuisse quàm plurimos , qui immoderatô procurandæ alienæ salutis succensi zelô , cordis amiserunt munditiam , omni devotionis nectare spoliati , dum inconsultè vacantes proximo , seipsos negligere non timerent . Sic equidem Deo acceptabile , lucris , & incremento invigilare animarum ; sed non omnibus prodest . Unusquisque habet donum proprium à Deo . Quisque debet priùs suam , dein aliorum quæ-

Ad Patres Spirituales.

quærerere salutem. Quid enim prodest homini, si mundum univèrsùm lucretur, vel omnes salvet, aut sanctificet homines; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Nullus, ah! Nullus ergo sibi animarum vendicet principatum, magnarum mentium hoc opus est! Vocandus est dignus; indignus repellatur! Habet & dignus, unde timeat, ne præsumendô ruat. Si non timeat amittere gratiam. Et hæc causa est, quòd sponsa in Canticis dilecto pulsanti, atque blandis, & mellifluis sermonibus eandem ad animarum subeundum ministerium invitanti, de se suspecta, ac de mentis coinquinatione dixerit pavida: *Expoliam me tunicâ meâ! Quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Semper enim humilis casum veretur. Vereamini & vos, Zelatores optimi! • Et ne in officio charitatis contrahatis maculam, vivite ut sancti.

Timendo
lapsus,

§. Ita vult Deus, dum Lev. c. 22, v. 32. de se testatur dicens: *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Cornelius legit: *Qui jubeo vos sanctos esse.* Et bene: *Vos enim estis sal terræ, ait Christus, & lux mundi:* SS. Hilarius & Gregorius addunt: *Et satores*

Vivendo in
magna sanctitate,

b

ater-

Allocutio

aternitatis. Sed si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Agitis & mediatores inter Deum, & homines; ideóque peccata populi comeditis, & consumitis; comeditis, quia à peccato absolvitis. Consumitis, dum & cavendi, atque effugiendi paterna subministratis consilia. *Videte ergo (sunt verba Seraphici Patris Francisci) dignitatem vestram ô sacerdotes! Et estote sancti, quia & DEUS, cui ministratis, sanctus est.* Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum Deum præsentatis, & aliquid aliud in mundo curatis! totus homo paveat, totus mundus contremiscat, & cælum exultet, quando ad S. Tribunal in persona Christi JESU residet Dei sacerdos.

*In Epist. que
extat in tom.
5. Biblioth.
P. P.*

*Puritate vi-
tæ,*

6. Qui jam non intelligit, quantæ puritatis, & integritatis vitam profiteri debeat Pater spiritualis? Hic audiamus responsum Gregorii Magni. *Mundus à vitiis esse debet (ait Doctor insignis) qui curat aliena corrigere; quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus quem pulvis gravat, & superpositas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.* Samuel suæ integritatis poposcit testimonium à populo, ut dein eò liberi-

*S. Greg. I. 7.
mor. c. 16.*

ad Patres Spirituales.

liberius eum de suis redargueret sceleribus. David vir sanguinum, templum Deo ædificare prohibetur; quia qui adhuc actibus incumbit carnalibus, necesse est, ut instruere spiritualiter mentes proximorum erubescat. Accommodè Tertullianus: *Oportet constantiam commovendi, propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant.* Concludit hunc discursum S. Ambrosius, dum in Lucæ c. 6. commentans inquit: *Nisi tu (ô animarum Director!) Prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut, cum fueris ipse pacificus, pacem aliis & quietem feras. Quomodo potes aliorum corda mundare, nisi tuum mundaveris antea?*

7. Pacem proin, charitatem, & clementiam commendo vobis, Viri à Domino electi! Est enim impossibile, mentis integritatem, virtutum summitatem, & tanti muneris attingere plenitudinem absque clementia, & charitate, quæ præcipuè requiruntur in iis, quibus Dominicarum ovium commissa est cura, ut earum solummodò bonum profectum; non verò sua quærant commoda. Quis-

b z cun-

1. Paral. 22.
8.

Tertul. L. de
patientia c. 1.

S. Ambros.
L. 5. in Luc.
c. 6.

Fovendo
Charitatem
& Clemen-
tiam erga
filios spiri-
tuales,

Allocutio

cunque in eo, quòd præsit plurimis, gaudet, honorem intendit suum, pascit & se, non oves. Confessarios decet, agere Patres, non Dominos. Studeant magis amari, quàm timeri; & si severitate est opus, paterna, mitis, & suavis fit, non crudelis, tyrannica. Induant matres fovendò, Patres corrigendò! Suspendant verbera, dum profunt, & sufficiunt verba. Pectora lacte pinguescant, non turgeant superbiâ. Charitas nunquam inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, capiens formam ab Ipso veri Amoris Magistro, qui dicit: *Non veni ministrari, sed ministrare.* O quale & hîc nôbis reliquit exemplum omnis lenitatis vir summæ eminentiæ Cardinalis Horatius Justinianus, qui in spectabili Pœnitentiarii munere in spiritu charitatis, & misericordiæ se prorsus monstravit invictum. Libellos supplices nunquam remisit cum voce illâ reluctoriâ, à qua abhorrebat, *nihil.* Suavissimam semper reddebat verbis consolatoriis peccatorum absolutionem, serio pœnitentes utroque stringebat brachio, asserens, nefas esse Judici Ecclesiastico, commissa luentes, & in viam salutis redeuntes, asperitate
repel-

Ad Patres Spirituales.

repellere. Dicere solebat sapius :
*Si Christus tam largè suum effudit
sanguinem: cur ego ejusdem distribu-
tor, parcius in animarum salutem,
& consolationem erogem? Ab emi-
nenti, docto, & gravi viro propter
tantam in S. Tribunali exhibitam le-
nitatem objurgatus: Malo, ait, Le-
gislatoris, quàm legum interpretum;
Dei potiùs, quàm hominum calcare
vestigia; præeunte duce validò, &
robustò iter periculis ut plurimum va-
cat. Quid enim significat illud: mi-
sericordiam volo, & non sacrificium,
nisi compatienter in confessionali agen-
dum? Leni, non aspero medio male
valentibus opus esse, dicit ille, qui
novit infirmitates nostras. Tribunal
gratia, ne nomen perdat, misericor-
dià, & non rigore abundare debet.
Tali responsò vir mitis objurgatores
compescuit, atque in pace dimisit;
docuitque quanta charitate, & cle-
mentia præsideri oporteat, dum se-
sistunt ad S. Tribunal pœnitentes. O
viri venerabiles! Vultis amari, ab
omnibus honorari, & omnibus fieri
omnia? Flamma ardeat amoris in cor-
dibus vestris. Hanc utique accendit
Magnum Ecclesiæ Lumen S. Grego-
rius, dum in Pastoralis monuit: *Lux**

Allocutio

gregis est flamma pastoris. Misericordiam autem vestram inclamat os melliflui Bernardi Serm. 2. in Cantica tract. de Unctione, & oleo clementiæ sic suaviter eloquentis: *O quæcunque es anima, sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ; sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta tibi ipsi tanquam vas perditum, ut cæteris præsto ubique semper occurras, atque succurras. Sic denique mortua tibi, ut vivas omnibus, ut planè tertium, optimúmque unguentum felix possides, & manus tue distillaverunt totius suavitatis liquorem. Memor erit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pinguescet.* Talis an non fuit Doctor Gentium testatus de seipso: *Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Paulam secutus est Vir dolorum S. Job dicens: Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui.* Joseph, qui postquàm Ægyptum universam post se fecit currere in odorem unguentorum suorum, etiam suis venditoribus eandem demum fragrantiam propinavit. Moyses plenus misericordiæ spiritu exclamat:

Do-

Ad Patres Spirituales.

*Domine ! Dimitte populo huic ; sin-
autem , dele me de libro tuo , quem
scripsisti . O homines verè unctos un-
ctione charitatis , & oleò misericor-
diæ !*

8. Ad quid ergo tœdium fatale , ira
inordinata , tetrica tristitia , si spiritualis
filii mores non citò sanctificent , & op-
tatos pro consolatione spiritualis Patris
fructus non reddant ? Vicarius Chri-
sti (teste Dionysio Carthusiano)
tantæ sit perfectionis , quòd , quan-
tumcunque subditi (confitentes) spi-
ritualibus priventur armis , & passio-
num agitentur immoderantiis , ipsi
tamen in omni virtute , in rationis
splendore , in luce sapientia perseve-
rent constantissimè ; mala vincant in
bono , suæque probitate aliorum defe-
ctuositates reprimant , ac reforment ,
quoniam ipsi sunt velut mensura , &
regula subditorum .

9. Nec contristentur , dum desi-
deratos è suis laboribus non impe-
trent fructus . Nam Beatissima
Virgo Maria sanctæ revelavit Birgit-
tæ : *Amici Dei non habent attœdiari
in servitio Dei ; sed laborare , ut ho-
mo malus fiat melior , & homo bonus
veniat ad perfectiora .* Præclare S.
Chrysostomus : *utinam* (ingeminat)

Vincendo
impatienti-
am , &

Inordina-
tam tristiti-
am , ex
L. 4. revel. c.
21.

S. Chrysost.
hom. 3. in I.
ad Cor.

Allocutio

Defectu
optati fru-
ctus ortam.

*oratio nostra aliquid proficiat! quod si post longam admonitionem in iisdem perseveraverint malis moribus, ne sic quidem desistamus, illis, quod rectum est, consulere; quandoquidem & aquarum vene, etsi nullus veniat aquatum, maneat tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: & amnes, licet nemo bibat, nihilsecius fluunt; sic oportet & illum, qui presidet confidentibus, quamvis fructum non statim advertat, tamen prestare, quidquid in ipso est situm. Absit, ut diffidant rectores animarum. Curam exigit ab his Deus, non integram curationem. Dixit verissimum, qui scripsit: non est in medico, semper relevetur ut ager. Sit illis mens eadem cum D. Paulo, qui de se: plus omnibus laboravi. Ecce! quis hic legit: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi. Horruit ista demissio Pauli. Faciant venerabiles Confessarii, quod suum est. Nam & Deus, quod suum est, satis absque eorum anxietate, & sollicitudine curabit. Plantent flosculos, instructionibus Apostolicis, plantatos zelosis rigent exhortatiunculis, & sui expleverunt officii partem. Sanè incrementum,
ubi*

ad Patres Spirituales.

ubi, & quando voluerit, dabit Deus, non miser homo. Si fortè noluerit, Patri Spirituali decedet nihil; quia sapientis promissum: *Reddet Deus mercedē laborum sanctorum suorum.* Securus, felix, & beatus labor, quem nullus valet evacuare defectus. **Ca-**piant Boni Patres ad cordis sui consolationem doctrinam, quam invenio in libello de Imitatione Christi verè auream, ubi devotus Author, Gersen, Benedictinus, loquens in persona Domini notanter monet: fili! desideria & sæpe accendunt, & vehementer impellunt; sed considera: an propter honorem meum? An propter tuum potiùs commodum? si ego sum in causa, bene contentus eris, quomocunque ordinavero; si autem de proprio quæsitum aliquid latet: ecce hoc est, quod te impedit, ut minùs feliciter in tuis proficias. Quare ergo consumeris vano mœrore? Sta ad meum beneplacitum, & nullum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi propter tuum beneplacitum, nunquam eris in quiete, nec liber à sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui adversetur.

*Gersen Lib. 3
de imit. C. 11,
& 27.*

Allocutio

Expetunt
lucra
aliorum

10. Sibi equidem prodesse in cura salutis expedit Confessionariis. Sed non sibi solis. Ita tropologia Gregorii Magni, dum interrogat: *Quid in Saul electo, & bono significetur?* Et sibi ipsi respondit subinferens: Significantur electi illi, qui per doctrinam aliis sunt utiles, & per conversationem sibi; qui sic sciunt, & possunt regere alios, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere. *Electi enim & boni sunt, qui sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur.* Pleni quippe in seipsis sunt, affluentes aliis, & de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. Ita Cornelius à Lapide.

Exemplo
proprio

11. Verùm proderit & sibi, & aliis plurimum Pater Spiritualis, si non communem, vel plebi duntaxat usitatum ingrediatur xiam. Id quod disertè docet S. Ambrosius in epist. 6. ad Irenæum, ubi juxta illud Pythagoræ mandatum, quo suos discipulos ad magna virtutis studia excitavit: *Vides (ait:) nihil commune in multitudine?* Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vindicat Auctoritas Pastoralis. *Quomodo enim potest observari*

ad Patres Spirituales.

à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te cognoscat? Si nihil in te aspiciat, quod ultra te inueniat? Si quæ in se erubescit, in te, quem arbitratur reverendum, offendat? Supergrediamur igitur plebejas opiniones, & quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium. Sit autem via nostra angustior, virtus exuberantior, callis arctior, vigor mentis exundantior. *Prodeant* (sunt & Divi Chrysostomi desideria) *prodeant ad functionem pastorem, atq; animarum, qui longè omnibus præstant, quiq; virtute animi tantum excellunt alios, quantum corporis magnitudine Saul Hebraorum gentes excelluit, seu potius multò etiam magis.* Talis animarum custos, & pastor fuit S. Malachias, Hiberniæ Archiepiscopus, qui sæpè solebat suis dicere: *Non recuso mori, ut vos vita mea teneatis exemplum.* Erat enim Malachias (refert S. Bernardus) *Regula fratrum.* Legebant in ejus vita, quomodo conversarentur. Sibi pauper, sed dives pauperibus. Pius ad compatiendum, quò compassionis affectu sibi rapuit omnes.

S. Chrysof.
L. 2. de
sacerd.

12. Tanta vis est boni exempli,

b 6

tan-

Allocutio

Compassio-
ne paterna,
&

tanta & virtus paternæ compassionis; quam & nervosè commendat Patri- bus spiritualibus S. Gregorius, quan- do monuit: *Quicumq; ad celsitudinem cura pastoralis assumitur, in eadem Ordinis sui sublimitate habere debet & vitæ altitudinem, & infirmitatis aliene compassionem. Doceant ergò sublimiter, & sanctè vivere.* Id est:

S. Greg. p. 2.
Pastoralis.

explanent obscura, & caliginosa; sint sibi rigidi, & filiis temperati; sic propriæ attendant salutem, ut cum in- firmis infirmari se sentiant: infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis; nam si per mentis languorem jacet Doctor, curare agros, & jacentes erigere non va- let.

Cornelius in
1. reg. c. 9.
v. 13.

Ita Cornel. Dicant sibi, de quo glo- riatus est Doctor gentium: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Qua- re? Ut in me inhabitet virtus Christi.*

2. Cor. 12, 9.

reflexione,
quòd &
ipsi homi-
nes sint;

13. Quòd ergò Confessarii sint, & vices gerant supremi Divini Judicis, quòd & cælum continuos in eos de- pluat gratiarum favores, non habent causam, se efferendi super alios, & fi- lios durius tractandi spirituales, sed meminerint, quòd & ipsi sint homi- nes, quòd & multum infirmi, vitiosi, malè corrupti. Hæc recordatio ser- viat zelosis ejusmodi viris instar par- vuli,

ad Patres Spirituales.

vuli, qui apud Romanos currum triumphantis antecedens, victoribus inter acclamationes, & applausus identidem suggerebat: meminissent, se quoque mortales esse vili gleba compositos. *Memento, te esse hominem.* Et hæc humilitas quid operabitur in cordibus Confessariorum, nisi ut sint erga filios sibi concreditos mansueti, & patientes, adeò, ut eorum miserti defectus magna charitate excusent, vel minuant, illos paternè sustineant, & instar medici tractent, medici inquam, patientiâ instructissimi.

14. O Venerabiles viri! dico & Patientia
vobis: Patientia cordibus vestris est præprimis necessaria. Deus dum Ezechielem mittebat ad populum Israël, quid vellet, hîsce innuit: *Mitto ego te, non ad angelos, sed ad filios Israël, ad gentes apostatrices, durâ cervice, & indomabili corde.* Quid? Domine! Propheta tam sanctus agat, & vivat cum tali populo? Sic est, pergit Dominus! *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* *Cum scorpionibus* ait Deus. Justè igitur eruditus Hector Pindus Christianos non exemplariter viventes cum bestiis comparat venenatis. *Nam* (formalia Pindi adduco) *hîc vocantur*

Ezech. 2. v 36
& 6.

Allocutio

scorpiones. Apud Isaiam hericii. Apud Mattheum, & Joannem lupi; apud Lucam vulpes, & apud Mattheum & Lucam progenies viperarum. Eja jam propheta! videbatur (juxta glossam Cornelii) dixisse Deus, præpara cor tuum ad fortitudinem, & insignem patientiam! Grandia tibi imminet certamina; & quomodo evades, cum non nisi inter scorpiones, vulpes, hericios, & serpentes habitabis? Patientia, & fortitudo Christiana ab his te servabunt insultibus. Quod est columba in medio accipitrum, quod ovis in medio luporum, quod stella in medio nubium, quod lilium in medio spinarum, hoc germen justitiæ est in medio iniquitatum, ait S. Chrysostomus. O Confessarii! sanctis non terreamini laboribus, ad quos sanguinolenta invitat Christi Jesu vinea! Non terreamini inconstantiâ, vel infirmitatē hominum! Triumphate malum in bono! Sperate in spiritu lenitatis, & invictæ patientiæ. Hâc solâ fructum facietis in centuplo, quem & Dominus inferet in horreum gloriæ immortalis. Ita Ludovicus de Ponte. Attende (hortatur Vir Dei) semen gloriæ est tribulatio; fovetur hoc semen, ne corrumpatur, patienti-

S. Chrysoſt.
hom de pa-
tientia Jobi.

Invincibili,

ad Patres Spirituales.

tiendiâ, miseri homines sine semine messem colligere voluit gloria, & semen ut fructificet sine patientiâ, qua major vesania? Gloriamur, ait D. Paulus ad Rom. 5, 3. non in divitiis, in scientiis, in resurrectione mortuorum &c. Sed in tribulationibus. Cur? Quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit.

15. Hæc ò quàm cordatos jubent esse S. Tribunalis Judices, quibus illud applico, quod lego in Exodo. Mandavit Deus Moyfi: *Provide de omni plebe viros potentes. Hebraicè: Viros virtutis, valentes animò, strenuos, magnanimos, qui homines non timeant, qui personas non accipiant, qui blanditiis, adulationibus, figmentis judicium non pervertant, sed qui solum respiciant Deum, timeant Judicem judicum, & Dominum dominantium. Ita Fridericus III. Imperator rogatus, quos è suis haberet charissimos? ait: Eos, qui non magis me, quàm Deum timent. Judicem adeò potentem miremur in Hussitico Principe: Conterebam (fateretur de se ipso) molas iniqui, & de dentibus illius aufereram prædam; Jobi c. 29. Et hoc est, quod insinuat Ecclesiasticus*

Cordata & virili.

Job. 29.

CUS

Allocutio

Act. c. 7. v. 60 **cus monens:** *Noli querere, fieri Judex, nisi valeas, virtute, irrumperere iniquitates: Ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in equitate tua. Quin & Epictetus omnem (cujuscunque sit statûs, vel ordinis) compellat Judicem: Uti nec anser clangore, nec ovis balatu perterretur, ita nec te stolidæ multitudinis vox perterrefaciat. Quare Trajanus Imperator Magistratum, & Judicem constituens, illique de more porrigens gladium: Illò, ait, pro me, quamdiu equa mandavero; sin iniqua, contra me utere. Accipite itaque Venerabiles viri, armaturam Dei, ut possitis in omnibus stare perfecti, de Christi adjutorio confidentes. State succincti lumbos mentis inter bonos, & malos, inter tepidos, & proficientes; induite lorica[m] justitiæ, & calciati pedes in præparationem Evangelii pacis, in suavitatem virtutis, & consolationem animarum festinate: In omnibus laboribus, in omnibus & molestiis, ac tribulationibus sumite scutum fidei, in quo & animas in Domino fideles & proficientes fortiter confirmare, & in virtutibus adhuc languidas ad magnum fervorem excitare, & provocare satagatis.*

16. Ar-

ad Patres Spirituales.

16. Arripite galeam salutis, gladium zeli, & spiritus, quem vobis offert Venetorum Apostolus, Magnus Protopatriarcha, S. Laurentius Justinianus, unumquemque admonens vestrum: „Quotquot alios „ad perfectionis incitant fastigium, „magnò rectitudinis ardeant zelò. „Sua priùs insequantur vitia, dein „subditorum, sua sine misericordiâ, „subjectorum verò cum multa pietate, non hominis naturam, sed „hominum insequentes vitia. Corrigit, ut servent. Monent, ne perdant. Est bonus rectitudinis zelus, sed pietatis non minùs necessarius. Utrumque teneat, qui animas ad sanctitatem, & iustitiam educat.„ Utroque est usus suis causis, & temporibus Redemptor noster. Flevit super Jerusalem, flevit & super defunctum Lazarum: sed increpavit Petrum, & respexit Petrum. Mundavit templum vœnalibus dicens: *Auferte ista hinc! & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Verum & in templo docebat clamans: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Hunc potum porrigite filiis vestris, Patres zelosissimi! Porrigite in verbo sanctæ consolationis, paternæ pietatis, &

Zelo Apostolico,

Consolatorio, &

Allocutio

& religiosæ sollicitudinis, non contenti, quòd benè cœperint, quòd habemus virtutem coluerint; & quæ religionis, ac christiani spiritûs sunt, quæsierint, atque adamaverint; sed ut ardeant magis, & ad perfectiora excrescant opera, stimulate, accendite, excitate.

Excitatorio
ad proficiendum
de virtute
in virtutem.

17. Noveritis quippe ex Cornelio super c. 33. Num. quòd fideles animæ totâ vitâ teneantur in virtute proficere, & sic proficisci in terram promissionis, seu cœlestem patriam. Nam juxta S. Bernardum *proficere est quoddam proficisci*. Hinc Psalter: *Ibunt de virtute in virtutem.* & : *Beatus vir, qui ascensiones in corde suo disposuit.* In quæ verba ita S. Hieronymus: *Ille disposuit in corde ascensiones, quicumq; sanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviscitur.* Felix itaque, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Quare Salomon justum in proverbiiis ita depingit: Justorum autem semitæ quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur. Unde & illud: Charitas nunquam excidit. Nunquam enim justus arbitra-

ad Patres Spirituales.

bitratur, se comprehendisse, nunquam dicit: satis est. Sed semper esurit, & sitit justitiam, ita, ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, & semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum Divino se mancipat servitio. Ecce! in quos viros, vestros excre- scere oportet filios, in viros perfectò ætatis plenitudinis Christi Jesu. His proin acclamate, & dicite ex ore Hip- ponensium Doctoris: *Proficite fra- tres mei! & estote perfecti, sicut & Pater vester in cœlis perfectus est. Discutite vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione.* Dilecte fili! Non est enim aliquis intus tecum, cur erube- scas, & jactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, ipse probet te. Pro- bas & te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem di- xeris, sufficit: periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in via manere; noli retrò re- dire; noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrò redit, qui ad ea devolvitur, unde jam abscesserat. Me-

Allocutio

Meliùs ut claudus in via , quàm cursor præter viam. Extra viam ne eant filii vestri , date dexteram spiritualis doctrinæ , porrigite baculum consolationis paternæ , extendite brachia sollicita adhortationis ad heroica sanctitatis christianæ opera. Patris est consolari filios ! Magistri stimulare discipulos. Pastoris commissos sibi Dominici gregis & verbò , & exemplò pascere populos.

Honorantur
novo opu-
sculo sub
titulo
Consolato-
ris,

18. Et hæc erat ratio, & finis, cur ego tam amicè, & fraternè colloquar vobis, & *Consolatorem fidelis, ac proficientis offeram animæ.* Novi, quàm piæ, & devotæ ubique inveniantur animæ, quæ indies cupiunt impinguari spiritu, inescari manna continui profectûs, magni fervoris, & inebriari poculò, & vinò S. perfectionis. Sed non impetrant, quæ ardentè desiderant. Sæpè fame, & siti decumbunt, miserè exarescunt, præ sterilitate, & cordis siccitate flebiliter deficient, languent, & propè non pereunt. Quæ causa tantæ miseræ? Respondeant ipsæ desolatæ animæ: *Hominem non habeo*, plorant, qui jacentem in via Jeruchintina, & languoris excitatoriò sublevet verbò. Facta sum absque Patre, qui media suggerat, qui-

Exigente ne-
cessitate
multarum
animarum.

ad Patres Spirituales.

quibus neglectâ vitâ communi, & antiquâ vecordiâ ascendam ad præstantiora sanctitatis merita. Ulcera per humilem confessionem filialiter pando: Sed nudâ (utinam & hâc non frigidâ!) absolute dimittor, subtractô omni refocillationis spiritualis pabulô, quod tamen unô, vel alterô dispensari potuisset languenti consolatoriô verbô. Quid dein mirum, si sacramenta frequententur ex merâ consuetudine siccâ, & aridâ. Quid mirum, si & post confessiones toties repetitas vita adhuc tam gelida? Quid mirum, si & inde antiqui hominis originalia reviviscant vitia? Potuissent hæc suaviter, & delectabiliter impedire omnia spirituales viri, si consolatores egissent in S. Tribunali. Sic ad vos, ô Patres zelosissimi! devotæ Christi animæ, additâ S. Augustini clausulâ: *Si non pavisti, occidisti.*

19. Consolamini ergo, consolamini (fnio cum Isaia) electum Dei populum. Loquimini ad cor Jerusalem! Annuntiate ei blanda, & suavia (pergit Cornelius) quæ cor ejus demulceant, recreent, omnémque ab eo molestiam abigant. Nec pœniteat tanti laboris; Si tamen labor. Nam ubi amor est, ibi non est labor, sed dulcis sapor, affirmat

indigentium
refocilla-
tione spi-
rituali,

Præscripta
à Propheta,
&

Allocutio

data à Chri-
sto Jesu in
mundum
nato.

mat pullus Mariæ, S. Bernardus, qui
ut ad paternas erga filios vestros con-
solatorias exhortatiunculas incitaret,
Serm. 5. in Natali Domini sic vos al-
loquitur coram præsepio : „ Conso-
„ lamini ! consolamini ! dicit Domi-
„ nus Deus vester ; dicit hoc Emma-
„ nuel Nobiscum Deus. Clamat hoc
„ stabulum, clamat præsepe, clamant
„ lacrymæ, clamant panni. Clamat
„ stabulum, curandô sese homini, qui
„ in homines inciderat, præparari.
„ Clamat præsepe, eundem homini,
„ qui jumentis comparatus est, pabu-
„ lum ministrari. Clamant lacrymæ,
„ clamant panni, eisdem ipsius cruen-
„ ta jam vulnera ablui, & abstergi.
„ Siquidem nullô horum exiguus Chri-
„ stus ; nihil horum illi propter se, ma-
„ gis autem propter electos. Consola-
mini, (prosequitur Clemens L. 2. con-
stit. Apostol. c. 15.) consolamini ve-
stros spirititaliter subditos, ut cæptam
virtutis viam, strenuè continuent, se-
mitam Domini generosè currant,
mundum, & carnem heroicè conte-
rant, solique Deo firmiter adhæreant.
Felix, & æternum felix, qui Domino
incorruptum tribuit, quod accepit à
Domino. Dignus sempiternâ cen-
setur gloriâ, qui non solum se, sed eti-
am

ad Patres Spirituales.

am plurimos secum Christo propriis laboribus (ita benedicente Dei gratia) parturiit devotos & sanctos. Tantorū prorsus erit particeps meritorum, quantorum sanctitatis, & salutis extiterat causa. Unde jam sat probata patet Patrum spiritualium dignitas. Ut enim profit, non ut præsit, vivere debet viri Dei. Exiguum namque est hominis meritum, nisi profectibus cumuletur aliorum. Ideo (ut cum S. Laurentio Justin. dicam pro coronide) Confessarius, & ingenuus oviscularum Pastor totis desudet viribus tum pro gloria Dei, tum pro subditorum solatio, & utilitate; quatenus quos regit, ditescant meritis, virtutibus crescant, & quotidie spiritu mentis renoveantur. Hæc enim sedulo agens animam suam liberat à periculo, & illam cælo habilitat, cui tot genuit filios. Propter hoc & Pater spiritualis cum Apostolo in die iudicii interrogare poterit: *Nonne vos estis gloria mea ante Dominum. 2. Cor. 9.* Agit enim Dei clementia hoc in electis suis, ut tot fulgeant gaudiorum meritis, quot pro ipsorum doctrinis inventi fuerint in cælis, Viri Spirituales! Patres zelosissimi! Date promptas filiis voluntates! Date verba client-

Allocutio ad Patres Spirit.

entibus consolatoria! Armate incipientes! Stimulate currentes! Inflammate proficientes, haud ignari; quia duplici fulgebitis stolâ, unâ interminabilis jucunditatis; alterâ æternæ felicitatis. Gratulor! & ut brevi comprehendatis, amicè precor. Valetè! pro Deo, pro proximo semper ardete, & ut stellæ quondam lucidissimæ in cœlis perpetuò splendescite. Sic vovet

Vestrum omnium

Weichenstephanii propè
Frisingam in Novitiatu
exemptæ Congregatio-
nis Benedictino-Bavari-
cæ.

Cultor devotissimus

P. Veremundus.

PRO-